DE

LITERATURAE PHONETICAE

ORIGINE ATQUE INDOLE

DISSERUIT

TABULIS LITERAS VETERUM SEMITARUM INDORUM GRAECORUM ITALORUM
HIMJARITARUM NORMANNORUM ANGLOSAXONUM ULFILAE
SCRIPTURAM CUNEATAM IRANICAM EXHIBENTIBUS

ILLUSTRAVIT

GUILELMUS GEISLER

EDITIO ALTERA EMENDATIOR

BEROLINI
APUD FERD. DUEMMLERUM

MDCCCLVIII

Ne quis tamquam parva fastidiat grammatices elementa, — — — quia interiora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.

QUINTIL. Instit. Orat. I, 4.

I.

De literarum notis ex remotissima antiquitate ad nos perlatis, quae in publicis monumentis per orbem terrarum sparsis insculptae inveniuntur, magna nostris temporibus quaestio orta est. Is enim quum ubique in Europa ardor vigeat et regnet, peregrinas terras visitandi earumque et antiquitates et hodiernum statum cognoscendi, ut nihil relinquamus intactum, sed priscarum opinionum fundamentis denuo in judicium vocatis, quid verum sit quid falsum, ad liquidum perducere studeamus: prae ceteris summo jure suo multi viri docti ad linguas veteres perscrutandas, quarum ex indole et natura populorum ingenium maxime perspicitur, omne contulerunt studium et a sono singularum vocum ad notas simul et signa, quibus soni significari solebant, recte et legenda et intelligenda sese converti passi sunt. Ac profecto hanc viam qui iniere, felicissimo studiorum successu usi, jam nunc magnam spem excitarunt, fore aliquando, ut quae inter vetustissimos populos scripta et delineata sint, nostra aetate ex oblivione qua obruta erant revocare et in historia veterum indaganda ad antiquissimos fontes redire queamus. Quo autem major est rei difficultas, eo plures ad haec studia animum advertere debebunt, quia conjunctis tantummodo viribus ad vera cognoscenda propius accedere licet. Inter quos meum ego quod nomen profiteor, audaciam excusabunt fortasse, qui quanta in rebus obscuris in lucem revocandis animi delectatio reperiatur meminerunt.

Est autem duplex imprimis virorum doctorum de origine literarum earumque fonte antiquissimo sententia. Alii enim nominibus potissimum literarum ducti ad Aegyptiorum signa hieroglyphica provocarunt singulasque notas ex his et similibus figurarum lineamentis exortas esse censuerunt; alii contra vetustissimis literarum formis et ductu collustratis et accuratissime perpensis aliunde populos istos in scribendi arte res suas non repetisse, sed suum ipsorum ingenium secutos novam per se rationem invenisse intellexerunt. Harum sententiarum altera usque ad nostram memoriam a plurimis iisque et doctissimis et ingeniosissimis viris pronunciata

summaque et doctrina et sagacitate defensa est;*) altera vero paucos tantummodo hucusque fautores est nacta, quorum ad partes, nisi fallor, omnes postea, quicunque missis praejudicatis opinionibus ad veritatem detegendam sese accinxerint, transibunt. Ac jam prioribus temporibus viri extiterunt gravissimi, qui ingenii acumine praediti atque indole ac natura et literarum cuneatarum et Indicarum adducti verum divinarunt. Inter quos primus audiendus est Niebuhrius, vir immortalis, qui in literis anno 1788 datis, quas Joh. Müllerus in Herderi operibus (Zur Philos. u. Gesch. I, p. 107.) publici iuris fecit, haec scribit:

„Unsere Sprachkundigen haben es einmal ausgemacht, dass die aegyptischen Hieroglyphen die allerältesten Schriftzüge sind, und daraus das phönicische und alle andere Alphabete hergeleitet. In dieser Gegend kann das ganz richtig sein: allein können darum nicht die Perser und Indier die Schreib- und andere Künste schon lange vorher getrieben haben? Da ich in Aegypten alle mir vorgekommenen Hieroglyphen und auch in Indien verschiedene Alphabete gesammelt hatte, so sammelte ich auch gleich die in den verschiedenen Inschriften zu Persepolis befindlichen Buchstaben, und fand bald, dass das Eine Alphabet ganz simpel ist, welches ich auch mit habe stechen lassen. Bei so vieler gezeigten Sorgfalt hat noch keiner öffentlich einen Zweifel in die Richtigkeit meiner Abschriften geäussert, aber freundschaftlich hat man mir geschrieben, die keilförmigen Schriften wären entweder nur eine Phantasie des Steinhauers, oder sie wären erst nach der Zeit Alexanders eingehauen. Dass ersteres nicht sein kann, zeigt, dass in keiner der drei Arten Inschriften die Buchstaben der einen mit der andern vermischt sind; und dass sie nicht neu sind, erhellet schon aus dem Umstande, dass man an beiden Enden der Figuren an der Treppe zu der grossen Kolonnade eigene Plätze zu den Inschriften gelassen hat, wovon nur der eine beschrieben ist. Ist denn auch die Treppe neu, worauf man noch jetzt bequem zu Pferde hinaufreiten kann? die 48 bis 50 Fuss hohen Säulen? die in Felsen ausgehauenen Pagoden in Indien?“

Deinde Fr. Schlegelius (hist. liter. I, 181 seqq.), quamquam cum Zoega consentiens alphabeta et Phoenicum et reliqua Asiae occidentalis et Europae ex illo derivata omnia et in formis et in literarum appellationibus originem ac naturam hieroglyphicam aperte prae se ferre putat, tamen Indorum alphabetum (dêvanâgarî) ejus indolis et naturae ratione habita ex eodem fonte fluxisse negavit nec praetermittit, nusquam adhuc in monumentis Indicis signa hieroglyphica reperta esse. Cui sententiae etiam Heerenius assentiri videtur (Handbuch der Staatengeschichte des Alterthums p. 9.).

*) Qui intra hos sex annos rem scriptis suis tetigerunt, recensentur ab Heur. Wuttkio in commentatione, quae inscribitur: „Entstehung und Beschaffenheit des foenikisch-hebraeischen Alfabetes“ in commentarr. Lipss.: Zeitschrift der Deutschen morgenlaendischen Gesellschaft. XI. 1. p. 79. seqq. (Leipzig 1857.)

Nostra vero aetate **Rawlinsonius**, insignis titulorum literis cuncatis confectorum interpres, qui ipse opinionem vulgarem sequitur, qua literae omnes ex figurarum lineamentis exortae creduntur, ejusdem originis esse scripturam cuncatam non potest non infitiari, sed in re accuratius explicanda non commoratur eamque in dubio relinquit neque legem, secundum quam illae literae formatae sunt, cognovit. Verba ejus paullulum perplexa sunt haec (Journal of the Asiatic Society vol. X. 1847. p. 19.): „I shall observe, then, that a system of writing, of which the elements were the arrow-head and wedge, was a very early, if not the earliest, method employed by man for embodying language in an artificial form. In those other species of writing which, in point of antiquity, rival or surpass the Cuneiform (I allude particularly to the Egyptian and Chinese), symbolical representation was the forerunner or the substitute of a phonetic alphabet, and it has been argued even that, in the primitive type of cursive writing employed by the Syro-Arabian nations, as the names of the letters were borrowed from the most common objects in nature (for no other reason that can be assigned beyond an identity of initial articulation), so the forms of the characters may have been originally designed, by a rude representation of the object, to convey a more distinct idea of the phonetic power. It is certainly at present beyond the scope of legitimate research to inquire whether the primitive Cuneiform alphabet can be included in this curious category. That it could not have originated in pure ideography is self-evident; but whether pictorial representation, rather than an arbitrary assortment of signs, may not have led to the formation of the primitive phonetic characters, we are not likely for some time to be in a condition either to disprove or to affirm.“

Sed haec omnia quum incerta et dubia sint, recentissima aetate duo viri diserte ac distincte viam tritam relinquendam esse docuerunt, Henricus **Wuttkius** et M. A. **Levy** in commentationibus peculiaribus,*) quorum virorum judicium universe mihi comprobandum videtur.

Nam quanto vetustiora sunt Phoenicum monumenta, tanto longius eorum literae a similitudine rerum certarum recedunt**) neque aliud quidquam repraesentant nisi lineolas rectas certo ordine inter se conjunctas vel ad se invicem vergentes, quas aptissime Graeci appellaruut *στοιχεῖα, γραμμάτων στοιχεῖα* h. e. paxillos, bacilla, radios, virgulas (nos: **Buchstaben**; **stabs**, Ulfil.). Hanc speciem unicuique praebebunt vetustissimi quique monumentorum tituli et Persarum et Indorum et Phoenicum et Graecorum et Italorum et Normannorum.***) Una ex his lineolis inter

*) **Wuttkii** comment. jam citavimus p. 4.*); altera est: Phoenizische Studien. Von Dr. M. A. **Levy**. Fasc. I. Breslau 1856.

) Vid. **Levy l. c. p. 49.

***) Conf. inter alia titulus sarcophagi regis Sidonii commentationi **Levii** s. c. in tab. I. adjectus — tabulae libro Th. **Mommsenii** additae (Die unteritalischen Dialekte. Leipzig 1850) et

se conjunctis ductus est principalis, quasi fulcrum, cui altera sive plures sunt annexae, quae vario modo in illud vergentes peculiarem literae characterem constituant ea ratione, ut quae literae uno eodemque pronuncientur organo, etiam figuram ostentent similem, qua inter caeteras alio organo pronunciatas excellant. Ita organo cuique certum insigne convenit, quod omnes literae hoc organo pronunciatae tamquam lineamentum oris huic familiae vel genti peculiare evidentissime prae se ferunt. Ita quum in omnibus omnium fere linguarum literis aspiratis, palatinis, gutturalibus atque in *u* vocali figura anguli (ᐸ) appareat, hoc signo haud dubie aspiratio omnibus hujus classis literis communis indicatur (v. tab. I.). Singulae autem unius et ejusdem organi literae denuo vel una vel pluribus lineolis diacriticis additis inter se discernuntur, ita ut hac via plana et simplici, quemadmodum in natura rerum, certa lege ac disciplina acerrime diligentissimeque servata, ex paucis et simplicibus formis principalibus, eadem ratione qua ipsi linguae soni, omnes literarum formae derivatae quasi progerminent pullulentque.

Summam igitur rationem ac constantiam in formandis sonorum signis probari longissimeque abesse omnem sive licentiam sive casum, neminem fugiet, quicunque tabulam nostram I. his plagulis adjectam accurate inspexerit.

Hanc rationem firmam stabilemque literarum formationi subesse, vera si est haec sententia, omnis ratio, quam literis nostris cum hieroglyphicis cujusvis generis intercedere dixerunt, prorsus sublata erit, lex vero plane diversa, ratio longe purior, elatior, et, ut dicam quod sentio, homine dignior ex lineolis his pusillis nobis elucet, primum vestigium ingenii humani expergiscentis et perrumpentis insita vi divina corporis vincula, materiam duram, infestam, repugnantem (*τὴν ὕλην*), ut se ipsum penitus cognoscat, ut ad se ipsum, ad originem suam divinam revertatur.*)

Qui quidem egregius hominis conatus omnem temporum memoriam supergreditur et caligine ultimae antiquitatis obscuratur. Nam quae scriptores veteres de inventione, quam dicunt, literarum nobis tradiderunt, ea omnia vaga sunt atque inter se discrepant neque ullo modo lucem nobis afferunt:**) tanto clarius autem, diser-

---

Huschkii libro, cui titulus est: Die Oskischen und Sabellischen Sprachdenkmäler. Elberfeld 1856 — tabulae Iguvinae et imprimis lamina aenea Olympiae effossa, quam Franzius in Elementis epigraphices Graecae p. 64. typis describendam curavit. Quam qui inspexerit, mira ejus cum scriptura cuneata similitudine movebitur. Videatur etiam titulus runicus in tabula nostra II. n. 16. et tab. I.

*) „Die Schwierigkeit, wie das Bild eines Dinges oder die Zeichen eines Begriffes in die Zeichen eines Lautes übergegangen seien, wird durch die Annahme der Entstehung der altsemitischen Lautschrift aus Bilderschrift mehr verdeckt als aufgeklärt. Die Ansicht, nach welcher es dem Nachdenken eines Einzelnen gleich gelungen sei, das Alphabet zu erfinden, d. h. die verschiedenen Laute zu individualisiren, ist viel natürlicher und fasst die grosse That des Geistes mit einem Mal zusammen, was sonst in allmäligen Uebergängen und endlich doch durch einen kühnen Sprung erreicht wird.“ W. Grimm: Ueber deutsche Runen, p. 4. sqq. Levy l. c. p. 49. Videantur etiam ea, quae Welckerus de hac re attulit in vita Zoegae (II., p. 159. sqq.), ubi de obeliscis agitur.

**) Quae si quis inspicere velit, adeat Franzii Elemm. epigr. gr. intr. III. et Gesenii Monn. Phoenicia p. 65. sqq.

tius et dilucidius literae ipsae loquuntur. Ita hac quoque de re valet istud vaticinium, ubi homines obmutescant, lapides esse ac saxa locutura. Simul vero constare videtur ratione potissimum veterum Mesopotamiae monumentorum habita, originem literarum, quae falso Phoenicum nomen prae se ferunt, Babylone esse quaerendam, unde postea ad Phoenices et per hos in omnes fere terras humanitatis non prorsus expertes migraverint. Itaque literae hae rectius veterum Semitarum quam Phoenicum vocandae sunt.*)

Huic sententiae favet etiam eximia veterum Babyloniorum indoles, acies ingenii ab antiquissimis temporibus exculta, religio denique memoratu dignissima, quibus rebus factum est, ut et mathematicae essent maxime addicti et coeli ac siderum peritissimi et mercaturas facerent et artium et opificii et rationis disciplinaeque mechanicae admodum studiosi.**) Qui quidem ut siderum coelestium, quae numina adorabant, claritatem contemplantes metientesque eorum cursus certos et constantes et statas temporum vices ostenderunt, ita iidem admirabilem sermonis humani structuram detexerunt, singulos in unum conjunctos vocis sonos dissolverunt animadverteruntque paucissima esse elementa (*στοιχεῖα*) usque repetita, ex quibus constet sermo humanus, eaque lineamentis et formis geometricis significarunt, lineis rectis et angulis usi, tanquam omnium alphabetorum elementis. Non mirum igitur, quod literae apud omnes populos simul numerorum sunt notae.***)

---

*) Conf. Levy l. c. p. 49. n. 2. et Zeitschr. d. D. M. G. IX. p. 475. n. 17. — Fr. A. Wolfius in dubio reliquit inventionem Phoenicum (Prolegg. ad Hom. p. L.): „Sed eum (populum) rem vel apud se inventam vidisse vel ita excoluisse et ad alios populos, nominatim Graecos, pertulisse, ut auctor ejus dici et haberi posset, tum admodum constans fama tum ipsa figura literarum Graecarum vincit". — Extat insignis apud Diodorum locus (V, 74.): *πρὸς δὲ τοὺς λέγοντας, ὅτι Σύροι μὲν εὑρεταὶ τῶν γραμμάτων εἰσί, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν, οὗτοι δ᾽εἰσὶν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Εὐρώπην, καὶ διὰ τοῦτο τοὺς Ἕλληνας τὰ γράμματα Φοινίκια προσαγορεύειν, φασὶ τοὺς Φοίνικας οὐκ ἐξ ἀρχῆς εὑρεῖν, ἀλλὰ τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι μόνον· καὶ τῇ γραφῇ ταύτῃ τοὺς πλείστους τῶν ἀνθρώπων χρήσασθαι καὶ διὰ τοῦτο τυχεῖν τῆς προειρεμένης προσηγορίας.*

**) Itaque veteres etiam Pythagoram Babyloniam profectum tradunt „ad perdiscendos siderum motus originemque mundi spectandam — summam scientiam consecutus erat". Justin. XX, IV.

***) Etiam nostrae numerorum notae falso Arabicae dictae literae sunt initiales nominum numeralium Indorum. Omnes igitur homines etiam hodie Indicis utuntur literis. — Zero, nota gravissima, est ç, litera initialis vocis çûnya, „vacuus, inanis", proprie „turgidus". Hanc veram notarum numeralium originem primus vidit J. Prinsepius, immortalis palaeographiae Indicae auctor, eamque proposuit in commentariis Bengalicis (v. Journal of the Asiatic Society of Bengal vol. III. 1838. pl. XX.). Quae quidem numerorum significatio non est Indorum antiquissima, sed eo tempore orta, ubi jam magnus notarum numerus extabat, de quibus egregie disserit E. Thomas („Ancient Indian Numerals") in commentarr. Bengall. vol. XXIV. 1855. pag. 551—71. Vide „Indische Skizzen von A. Weber." Berol. 1857. p. 149. — Boettigerus (Archaeolog. der Malerey I., p. 7.) alphabetum „Phoenico-Assyrium" nuncupat „die einzige Ur- und Stammschrift für unsre Weltgeschichte" et diversorum populorum inventa his verbis enumerat: „Die Zabier schrieben und rechneten, die Fetischisten gruben und malten, alle Himmels- und Sternendiener erfanden früh schon Buchstaben und Zahlenzeichen, die persepolitanische und babylonische Keilschrift; die ursprünglichen Fetischendiener aber zeichneten die Figuren ihres Cultus auf, woraus alle Hieroglyphenzeichen hervorgegangen sind."

Ex iis, quae jam exposuimus, simul efficitur, nomina literarum, quibus viri doctissimi tantam vim tribuerint, in explicanda origine scripturae parvi esse momenti, immo nullius; posterioris enim sunt aetatis et fortuito ac temere literis indita, id quod nominibus probatur etiam runarum, quarum nonnullae pluribus appellationibus notantur.*) At runarum quidem nominum etiam alia ratio esse videtur, de quibus ut de Phoenicum et Hibernorum veterum literarum appellationibus alio tempore sententiam nostram proponemus.

II.

Jam vero breviter exposita sententia nostra de lege, secundum quam literae omnes mere phoneticae progignuntur, quam quidem legem tabula I. huic commentationi adjecta, ut spero, dilucidissime ante oculos proponet, qualis illa sit melius ostendere non potero quam singulis exemplis propositis, quae omnem dubitationem tollere posse mihi visa sunt. Loquor autem prae ceteris de runis septentrionalibus et de scriptura cuneata Persepolitana. Quae utraque scribendi ratio ad rem nostram probandam ideo maxime idonea videtur esse, quod omnium, quas novimus, simplicissima est, excepta Hibernorum *Ogham* scriptura, cujus formas in tabula II. n. 15. proponi curavimus.**)

---

*) In eadem sententia sunt Henr. Wuttkius (l. c. p. 83.) et Zoega, in cujus vita a Welckero exposita (II., 169.) haec leguntur: „Zoega glaubte zwar auch, dass die ältesten Buchstabenzüge abgekürzte Bilder der Dinge, aber dass die vorhandnen schon zu sehr von der ursprünglichen Gestalt abgewichen seien, um sie zu erkennen, leitete alle diese Namen, über deren Ursprung nichts gemeldet wird, aus blossem „Schulmeisterscherz" ab, wenn nehmlich beim Unterricht einem jeden Laut, gleichsam zum Träger, ein bekanntes Wort, das damit anfieng, beigegeben wurde, ebenso wie die Nordischen Namen, die den Runen gegeben worden — er hielt sich mit Ihre überzeugt, dass die Runen aus dem Lateinischen genommen seien, im 5ten Jahrh. — So noch Eichhorn, Rühs u. a. — und glaubte, die ältesten Namen seien der blosse Ton eines jeden Buchstabens gewesen, die also die Lateiner eher von den Griechen erhalten hätten, als diese die Phönizischen Namen angenommen." — Klaprothium idem sensisse ex Rawlinsonii annotatione (Journ. of the As. Soc. vol. X. 1847. p. 19.) video; ipsam enim Klaprothii commentationem inspicere nobis non licuit. Verba Rawlinsonii haec sunt: „Klaproth, who had little favour for theories that did not originate with himself, rejects this idea" — that the names of the letters were borrowed from the most common objects in nature (quae sententia Rawlinsonio probatur) — „as altogether improbable; he observes that it is impossible to trace any resemblance between the forms of the semitic letters and the shapes of the objects of which they bear the names, and he conjectures accordingly, that the nomenclature was given as a mere sort of „memoria technica " See Aperçu de l'Origine des diverses Écritures, p. 77."

**) *Ogham*, auctore O'Flanagan derivatum ab *Oc* sive *Ogha* i. e. circulus, quia omnes hujus scripturae literae nascuntur ex quinque circulis sectis, quibus commune est centrum, veterum Hiberniae incolarum alphabetum erat, cujus literae sunt lineolae ab utroque latere lineae rectae, *Craobh* h. e.

Runae Normannorum simplicissima ratione ex duabus lineolis diversis formatae sunt, quarum altera sursum deorsum ducta | *staf* (Stab), baculum, virga, fulcrum appellatur, altera *kännestrek*, linea signans, diacritica, characteristica, nota literae \ / ı, quae linea diacritica ex illa linea recta modo summa modo media modo ima in diversas partes procedens, nunc longior nunc brevior, unam formam ab altera accuratissime distinguit, adeo ut permutari vel confundi nullo modo possint.

Formae enim literarum tali modo exortae putabantur, ut

ex linea recta	|		|	
et linea diacritica partim	/		partim \	
posita ad lineam	formatae sint		formatae sint	
summam	⸍| ᛌ ᛏ	T	|⸌ ᛚ ᛚ	L
mediam	⸝| ᛆ ᛅ	A	|⸜ ᚽ ᚾ	N
geminata	⸗| ᚯ ᚮ	O		
sursum ducta	|ᐟ ᚴ ᚴ	K	ᛙ ᛘ ᛘ	M
deorsum ducta	⸝| ᚱ ᚱ ᚱ	R	|⸜ ᚢ ᚢ	U, V
ad imam	|⸝ ᛒ ᛒ	B	|⸜ ᛦ ᛦ	Ö, R.

Ex duabus lineis diacr. \ / formata est ᛉ postea ᚼ H.
Ex ˡ posita ad summam ˡ| extitit ᛋ . . . . . ᛋ S
ad mediam |ı . . . . ᚦ . . . . . ᚦ Th
ad imam ı| cujus loco extitit
ad summam geminata |ˡˡ . . . . ᚠ . . . . . ᚠ F.

Linea diacritica primo directa, postea, ut speciosior esset forma, inflectebatur, quum ex iis erat lineis longioribus, quae medium fulcrum attingebant, ut ex ᚱ extitit ᚱ (etiam ᛦ) et postea ᚱ; educebatur etiam, nisi nascente ambiguitate, linea diacritica ex utraque fulcri parte, ut ᚮ ᛅ ᚾ ᚼ pro ᚯ ᛆ ᚽ ᛉ vel adjiciebatur in altera fulcri parte linea priori respondens, ut ᛏ ᛘ ᛦ pro ᛌ ᛙ ᛧ.

Quae quidem omnia ex sententia esse veterum gentium borealium quum aliis rebus probatur tum genere quodam runarum, quae dicuntur Helsingicae;

---

stirps dictae, quasi rami certo ordine exeuntes, quam ob rem etiam ab arboribus omnes literae appellationes traxerunt. Sedecim tantum ab initio erant literae hujus alphabeti incipientis a **B L N** literis et propterea **Beith Luis Nuin** appellati, postea autem, quum alphabetum quattuor signis simplicibus et quinque duplicibus auctum esset, ordine literarum mutato *N* litera quintum locum obtinuit. Refertur a quibusdam ad Druidas veterum Celtarum haec scriptura, cujus cum runis cognatio manifesta est: *A* et *O* literae utrique sunt communes. Conf. Promenade d'un Français dans l'Irlande par De la Tocnaye, ed. 2. Brunsvic. 1801. p. 41. 42. — Ferussac Bullet. Univ. Philos. Journal. Dublin 1826. — *Run-Lära* af Joh. Liljegren. Stockholm 1832. p. 38. — Plura hujus scripturae (*Ogham*) genera notantur a Ledwichio in „Antiquities of Ireland" tab. VIII. ad p. 87. — Conferatur etiam Gislii Brynjulfi fil. Isl. *Pericul. Runologic.* (Hauniae 1823.) §. 10.

hae enim fulcro abjecto meras lineolas diacriticas repraesentant et tamen facillime dignosci possunt.*) Cf. p. 11. et vid. tab. II. n. 4. et 5.

Ipsi runarum tituli, quorum magnus extat numerus**), in saxa ac lapides incisi,***) inter duas lineas aequis intervallis inter se distantes, imprimis in vetustioribus monumentis, conspiciuntur, quae quidem lineae raro sunt rectae, sed variis modis in semet ipsas implicatae, saepius in altera parte extrema capite quodam ornatae, in altera in caudae formam desinentes vel species draconum vel alias ejusmodi formas praebent (vid. tab. II. n. 13.). Has flexiones artificiosas scriptura quum sequi deberet nunc sursum nunc deorsum se inflectens, tamen literae alia post aliam insculptae a sinistra fere ad dexteram leguntur. Sed quum ea ratione, qua lineae diacriticae in fulcrum vergunt, singulae runae accuratissime discernantur, veteres Normanni non semper efficere studebant, ut literae ipsae statum suum erectum servarent, sed eas modo in alteram partem invertebant, ita ut more Semitico legendae sint (vid. tab. II. n. 16.), modo capitibus pronas in lineam inferiorem statuebant, modo etiam inversas. Primum genus appellatur Vände-Runor (runae inversae), quae speculo redditae apparent tamquam tritae et, quum in campanis vel toreumatis occurrunt, in protypis recte erant insculptae. Ejus generis runae sunt in notissimo bracteato aureo, qui in museo Holmiensi depositus est. Runae inversae speciem praebent in tab. II. n. 10. descriptam.

Hac runarum forma in lapidibus vocabula vel sententiae, quibus vis quaedam major tribueretur, significabantur, ut nostris literis tenuioribus et paullum inclinatis, quae dicitur scriptura cursiva.

Alterum runarum genus (*Stup-Runor*) in capitibus statutarum est. vid. tab. II. n. 11.

Tertium genus est runarum et inversarum et in capitibus statutarum (*Stupade Vände-Runor*), quas tabula II. n. 12. repraesentat.

Triplex haec runarum inversio in monumentis occurrens ea de causa notatu digna est, quia haec eadem in singulis literis diversorum populorum ex alphabeto Semitarum principe exortis invenitur (cf. tab. I.), id quod jam *Prinsepius* vidit,

---

*) Conf. Liljegren l. c. p. 29.

**) Liljegrenius (Run-Urkunder. Aftryck för Run-Forskningens Vänner. Stockholm 1833.) p. 307. eos efficere ait 2047, quorum multos, quum in Scandia commorarer, ipse vidi.

***) Proprium Normannorum vocabulum est *rista*, scindere (*ritzen*), cujus radix omnium stirpium Germanarum communis est *scribendi* notionem exprimens, ut vet. Germ. *rîzan*, scindere, scribere (cf. Graffii Thes. II, p. 557. seqq.), vet. Sax. et Anglosax. *wrîtan* scindere (Hêlj. 171, 17. Beov. 5406.), scribere, vet. Fris. *wrîta*, vet. septentr. *rîta*, nostrum *reissen*, (*Reissbrett*), *Riss*; Gothor. *vrits*, *κεραία*, vet. Germ. *riz*, vet. septentr. *rit*, scriptura, apex, iota, nota, character, sulcus; *rîza* vet. Germ. circinus, *reiz*, *reiza* linea, nota. Posterioribus demum temporibus et Normanni et Germani, cum calami et atramenti usum a Romanis didicissent, horum vocabulum *scribere* ab illis usu receptum est: nos *schreiben*, Sueci *skrifva*, Dani *skrive*, Batavi *schryven*; soli Britanni retinuerunt vetustum: *to write*. Etiam Indorum लिख् *likh* proprie est *radere*, *incidere*, deinde *scribere*.

qui antiquissimas Graecarum literarum formas nihil aliud esse nisi Indorum literas sursum deorsum versatas docuit.*) Divinavit igitur vir ingeniosissimus communem literarum et Graecarum et Indicarum originem neque vero invenit matrem Semiticam, cujus cum vetustissimis Indorum literis cognationem optime demonstravit A. Weberus in commentatione, quae inscribitur: Ueber den Semitischen Ursprung des Indischen Alphabets (vid. ejus „Indische Skizzen" p. 125.).

Facile igitur est intellectu, neque inversas literarum formas neque rationem, qua versus ducti sint vel a dextra vel a sinistra incipientes, ullius esse momenti in dijudicanda scripturae alius cognatione cum alia, quum omnium fere populorum mos vetustissimus fuerit a dextera scribendi ad sinistram, ut Etruscorum, Graecorum,**) Indorum, quorum literae postea frontem inverterunt plurimae, nonnullae tamen pertinaciores antiquum morem obtinuerunt, cujus generis Indorum Dêvanâgarî plura exempla praebet.***)

Denique memorandum est etiam aliud runarum genus, quod ad explicandam scripturae indolem ac rationem non parvi est momenti, runae quae dicuntur *Helsingicae* (vid. tab. II. 4. 5.). Ex iis enim, quae supra de formis runarum exposuimus, dilucide apparet, lineam illam diacriticam veteres judicasse potissimam literae partem, qua propria literae unicuique vis et character tribuatur, unde evenit, ut abjecto fulcro omnibus literis communi ipsae lineae diacriticae ad quamvis vocem recte legendam beneque intelligendam abunde sufficerent. Et vere plura inveniuntur antiquitatis monumenta has simplicissimas runarum formas repraesentantia, nec solum in Helsingia provincia, unde nomen traxerunt, sed etiam in Medelpad et in Soedermanland.****) Quas quidem runas singulares a viris doctis diu non intellectas antiquitatem redolere neque animi causa a quoquam inventas neque secreta esse signa praeter alias causas jam ex eo efficitur, quod *o* vocalis, quam posterioribus demum temporibus runis usitatis accessisse est manifestum, illis Helsingicis deest.

Constant igitur runae Helsingicae †) maximam partem meris lineolis diacriticis, velut exortum est

---

*) — — „that the oldest Greek was nothing more, than Sanscrit turned topsy turvy", cum sibi persuadere non posset, „that so constant and so close a conformity of the alphabetical symbols of two distant nations should exist without affording demonstration of a *common origin.*" Vid. Journal of the Asiatic Society of Bengal. VI. (1837) p. 390. seqq. tab. 24. et imprimis p. VII. (1838) tab. XIII. (XIV.), ubi sunt „*greek resemblancies.*" Conf. A. Weberi Indische Skizzen. Berl. 1857. p. 129. seqq.

**) Conf. Franzii elemm. epigr. graec. p. 35. 39.

***) Conf. R. Lepsii Palaeographie als Mittel für die Sprachforschung zunächst am Sanskrit nachgewiesen. §§. 5. 32. 33. 38.

****) Conf. Liljegreni Run-Lära p. 37. — Celsii Run. Medelpad. — Bautil. 807. — Liljegreni Run-Urkunder p. 115—117. — Guilelm. Grimmii: Ueber deutsche Runen p. 294.

†) Vid. tab. II. 4. 5.

ᚁ sive ᚁ ex ᚢ, ᛘ ex ᚼ, ′ ex ᛏ,
⌐ ex ᛦ h. e. ᛦ pro ᚱ, ∖ ex ᚽ, ∖ ex ᚴ,
) ex ᚠ, ⁄ ex ᛅ, ⁄ (pro ⸗ ex ᛋ),

servato uno |, quum linea diacritica careret.

Reliquarum autem runarum formae ex brevibus constant lineolis positis in diversis locis inter duas lineas, quibus titulos runicos includi supra diximus: est enim posita

ı brevis lineola juxta superiorem marginem pro ᛙ ex ᚼ,
ı brevis lineola in medio pro › sive ͻ ex ᚦ,
ı brevis lineola juxta inferiorem marginem pro ᚠ ex ᚠ et
˙ pro ∖ ex ∖ juxta superiorem marginem ex ᛘ pro ᛘ, contra
. juxta inferiorem marginem respondet formae ᛦ.

Jam vero, quum nonnullae harum literarum formae ea tantum ratione inter se differant, qua lineae diacriticae ad fulcrum vergant, haec ratio ut statim cognosceretur, breviores lineae praeacuebantur ad formam cuneolorum, longiores incurvabantur, velut ⁄ pro ⁄ ex ᛏ, ut distingueretur ab ⁄ sive) ex ᚠ; ⁄ pro ⁄ ex ᛒ, ut distingueretur ab ⁄ sive ⌐ ex ᛦ cet. (vid. tab. II. 4.).*) Quas quidem lineolas omnes manifestum est particulas trium esse linearum: lineae directae, lineae ad sinistram, lineae ad dexteram vergentis, has autem singulas lineas iterum esse divisas nunc in duas nunc in tres, omnino igitur in partes quinque, quibus lineolis hac ratione exortis omnes conficiantur lineae diacriticae hoc est omnes runae, quarum numerus eadem de causa est quindecim, nam ter quina quindecim sunt. *O* enim vocalem postea additam esse supra jam diximus (vid. tab. II. 1. 2.).

Hac igitur ratione geometrica literae omnes natae sunt.

Sed ut singulae linearum illarum trium partes (lineae diacriticae) altitudine tantummodo inter se diversae accurate distinguerentur, literarum versus duabus lineis aequis intervallis inter se distantibus includebantur, ita ut linearum diacriticarum et longitudo et altitudo certissime definiri possent, velut lineola ⁄ posita ⁄ bene discernitur ab ⁄ posita ⁄ et adjecto fulcro ⁄ ⁄ ᛏ confundi non potest cum ⁄ ⁄ ᛅ ᛅ, et ⁄ ⁄ ᚠ vel ⁄ ⁄ ᛒ (ᛒ) et ⁄ ⁄ ᛦ (ᛦ) cet. vid. tab. II. 2. 3.

Ceterum res est memorabilis, titulos Persepolitanos literis cuneatis confectos iisdem duabus lineis inclusos apparere omnes,**) Indorum autem Dêvanâgarî alteram lineam superiorem retinuisse. Etiam Graeci tituli nonnulli extant vetustissimi iisdem

---

*) Runae in tab. II. 6. redditae, quarum lineae diacriticae formas cuneatas praebent, in annulo ferreo reperiuntur affixo ad januam aedis sacrae in Helsingiae vico, cui nomen est Forsa. Titulus ipse ex versibus quibusdam rhythmicis constat.

**) Vid. Journal of the Asiatic Society vol. X. ubi reperies titulos a Rawlinsonio redditos.

duabus lineis usi*) et Hebraeorum scriptura quadrata vestigia hujus moris servasse videtur.

Tres illae lineae rectae, ex quibus runas exortas vidimus omnes, etiam causa sunt dividendi alphabeti in partes vel genera (*ätter*) vel familias literarum tris, quae divisio antiquitus usitatissima fuit. Unaquaeque harum familiarum nomen traxit a litera incipiente, quae tamquam pater vel potius mater familias (*ättruna*) putabatur, quum reliquae quattuor literae aequabili multiplicatione ex illo prognatae essent. Ex quinque autem literis familiam quamque constet necesse est, quoniam unaquaeque trium illarum linearum rectarum et in duas et in tres i. e. quinque partes divisa erat: unde numerus omnium runarum est quindecim.

Tres autem runarum familiae sunt hae:

1. *Frej* familia: ᚠ ᚢ ᚦ ᚬ ᚱ ᚴ *futhork*
2. *Hagel* — : ᚼ ᚾ ᛁ ᛅ ᛋ *hnias*
3. *Tyr* — : ᛏ ᛒ ᛚ ᛘ ᛦ *tblmö.*

Quemadmodum autem Hibernorum literae antiquae (*Ogham*) ex quinque circulis sectis exortae putabantur**), sic runarum tres lineae rectae, quibus formantur, earumque particulae quinque juxta positae imaginem arboris trium stirpium cum ramis vel fruticis cum caulibus repraesentant, quod runarum ἀρχέτυπον praebet tab. II. fig. 1.

Jam vero contemplantibus nobis ipsum illum vetustissimum runarum septentrionalium ordinem***) (*runraden* dictum; vid. tab. II. 8.), a ceterorum alphabetorum plane diversum, statim apparebit, inter ceteras omnes medium locum tenere simplicem lineam rectam, quae utrimque stipatoribus, ministris, satellitibus in certum ordinem circumdata tamquam rex vel potius regina triumphans non sine pompa incedere videtur nec ornamentis nec armis egens, quum simplicitate ipsa inter omnes excellat, stipatores variis virtutis lemniscis atque armis exornati fortissime ipsam defendant, ita ut nuda medio tutissima eat. Et vere fortissima est parva haec manus, quae ab exiguis profecta initiis in dies magis incrementis augescens orbem terrarum peragravit, genus humanum ad veram humanitatem informavit, artibus et literis erudivit, omnium animos sibi subegit, id quod potentissimi gentium domitores non potuerunt. Hanc igitur manum victricem, quam modo crescentem modo decre-

---

*) Vid. Franzii Elemm. epigr. gr. pagg. 62. et 70.

**) Vid. p. 8. **)

***) Traditum nobis est hoc alphabetum in pluribus monumentis vetustis. Inveniuntur enim in Sueciae provinciis Upland, Vestmanland, Vermland, Vestergöthland, Bleking lapides, quibus insculptum est nihil aliud nisi alphabetum hoc runicum certo literarum ordine semper servato, haud dubie eo consilio, ut, quemadmodum edicta publica, ab omnibus cognosceretur atque in omnium memoria haereret, praesertim cum in locis celeberrimis ut in viis publicis et in aedibus sacris ejusmodi lapides occurrant tamquam publici lapides literarii, quibus prima elementa omnibus traderentur. Cf. Liljegreni Run-Lära p. 172. et ejusdem Run-Urkunder pagg. 236—238.

scentem inter diversos populos videmus, in certo aetatis gradu versantem quum apud Normannos veteres deprehendamus, alienum esse non videtur diligentius exquirere, utrum certa via atque ratio literis his subsit munito quasi agmine incedentibus an fluctuent omnia nec certam legem sequantur; utrum earum et potestas et numerus et ordo cum natura et legibus linguae humanae congruat necne. Quodsi omnia haec inter se optime congruere potuerimus probare, haec res non solum lucem afferet nonnullis artis grammaticae partibus, sed falsam simul refutabit sententiam eorum, qui alphabetum runicum ex Romanorum aliarumve gentium alphabetis temere et caeco quodam casu conflatum vel mutilatum putant.

Sed redeamus ad reginam nostram |, cui ut forma tenuissima ita nomen est tenuissimum, jucundissimum, dulcissimum *J.* — Quo tandem jure, quaeres, litera ista quum voce tenuissima tum vegrandi macie torrida atque arida locum obtinet tam insignem? — Hunc sonum primam vocalium, primogenitam esse scito, id quod ipsius linguae ratio atque usus nobis prodit. Quam sententiam ut argumentis idoneis confirmemus, res paullo altius repetenda est. Ac lineam quidem illam directam, qua *i* litera significatur, etiam fulcrum esse ceterarum runarum omnium vidimus, quod idem fulcrum in omnibus omnium populorum literis reperitur. Ipsae vero nostrae literae et latinae quae dicuntur et vernaculae idem probant, maxime Indorum dêvanâgarî, cujus omnibus fere literis, paucis exceptis, fulcrum illud inest atque in medio positum *a* vocalem longam notat. Quaeritur jam, quid haec linea directa, quae tenacissime inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostram memoriam locum suum obtinuit, sibi velit? Nihil certe aliud significat nisi principalem illam vocis materiem, principium, elementum sermonis humani omnibus hominum sonis commune, rudem indigestamque molem expectantem artificis ingenium formans. Agitante autem spiritu divino hominibus insito ille incultus adhuc sonus humanus, illa materies mollis et quasi docilis, in certas formas, sonos quos dicunt articulatos, redigi coepta est viribus adhibitis gutturis, palati, linguae, dentium, labiorum, atque hac via naturali, non uno quidem ictu, sed paullatim, ut ex semine germinat stirps, rami, folia, ab exiguis profecta initiis lingua humana eo crevit, ut diversissimis linguae sonis omnia, quibus animus moveretur, et gaudia et dolores et subtilissima ingenii inventa homo cum homine communicare valeret.

Hac eadem via, secundum eandem legem simplicem etiam literae, quae sonos linguae humanae ante oculos proponerent atque vocem fluxam fugacemque in perpetuum defigerent, mirum in modum formatae sunt, et primum quidem paucae tantum, ut soni ipsi, sufficiebant atque in usu erant literarum notae secundum organa, quibus pronunciabantur, certa ratione distinctae, quae, quum sonis ipsis adhuc incertis, perturbatis, indispositis primo involuta esset et vocalis et consonans, eadem ratione et consonantem simul et vocalem obscuram atque incertam repraesentabant. Itaque factum est, ut, quum neque cousonans litera sine vocali nec vocalis sine

consonante existeret, vocabulum a vocali incipere omnino non posset, nisi praemisso spiritu quidem leni, cujus rei exemplum praebent א et ע Hebraeorum, अ Indorum, spiritus lenis Graecorum aliaeque linguae.

Hujus rei vestigia quum lingua ipsa tum literae, umbra et imago linguae accuratissime descripta, nobis conservarunt, ut Hebraeorum Scheva mobile, ut et linguae Sanscritae et scripturae cuneatae Persepolitanae quaevis consonans litera, quae non alia quapiam vocali aut signo conjungatur, cum *a* brevi nunc quidem pronunciatur; hunc vero *a* sonum antiquitus tam pure non esse pronunciatum jam inde probari potest, quod in aliis linguis cognatis potissimum ĕ et ŏ, nonnunquam etiam omnes fere vocales ei respondent velut sanscr. *saptamas* est *septimus*, ćatvâr-as = *τέσσαρες*, *mamarda* = *momordi*. Immo vero etiam in una et eadem lingua unius vocabuli vocales summam prae se ferunt inconstantiam ac fluctuationem; in runicis enim titulis hae formae inveniuntur: *stan*, *stain* (pro *sten*, *ai* pro *e*, quae vocalis runis deest, positum, ut in lingua sanscrita, vet. Pers., Gothica, Francogallica cet.), *stin*, *ston* (lapis); þ*ansi*, þ*insi*, þ*onsi*, þ*usi* sive þ*unsi* (hic); *abtir*, *ibtir*, *ubtir*, *aftar*, *if*þ*i*, *uftar*, *aiftir*, *iftr*, *uftr*, *oftir*, *ftir* cet. (*post*, angl. *after*, suec. *efter*).

Ex illo igitur obscuro vocalium elemento primus in lucem prodiit clarus *i* sonus, non *a*, ut plerisque visum est, quum is sonus (*a*) multo purior, explicatior, nobilior sit, quam *i*, longissimeque a consonantium natura recedat, ita ut vocalis, ut ita dicam, vocalissima ex prima illa sonorum confusione ac concretione prima nasci non potuerit: *i* enim et *u* vocales in *j* et *v* transire constat; *a* vocalis vero nunquam in consonantem permutatur. Gravitatis autem ac ponderis ratione habita *i* vocalis omnium est levissima;*) quae ipsa ejus natura antiquitatem testatur.

Aptissime igitur *i* vocalis, quae prima omnium vocalium ex obscuritate in claritatem enisa est, nuda linea directa est notata, qua eadem linea illum vocis indispositae sonum omnibus literis communem, spiritum principalem (fulcrum), significari vidimus. Recte vero *i* vocalis medium obtinet locum, quia ab hoc sono tamquam ex centro vel, ut ita dicam, foco, formatio sonorum articulatorum initium cepit. Deinde in pronuncianda *i* vocali labia minus aperiuntur quam ubi *a* vocalis, sed magis quam ubi *u* auditur atque ita etiam in pronunciatione *i* medio loco gaudet: servant enim vocales hunc ordinem: *a*, *e* **i**, *o*, *u*.**)

---

*) — „Was das Gravitätsverhältniss des *u* zu *i* anbelangt, so versteht es sich ziemlich von selbst, dass ersteres schwerer wiege als letzteres" — vid. Vergleichende Grammatik von Franz Bopp. Berlin. 1856. I. §. 8. — „*i*, als leichtester der Grundvocale, konnte keine andere Störung als völlige Unterdrückung erfahren." id. ibid. §. 71. — „Man möchte *i* für den leichtesten, *u* für den schwersten unter den drei kurzen vocalen halten, dem *a* zwischen beiden die mittelstelle einräumen" vid. Deutsche Grammatik von Jac. Grimm. p. I. ed. 3. p. 532.

**) — — „*i*, mit der engsten Gaumenöffnung und der grössten Verbreiterung der Mundhöhle gesprochen, ist der innerlichste und höchste Vocal. Dem *i* gerade entgegengesetzt wird das *u* durch

Tum propter ipsam significationem ac vim sibi propriam vocalis noster medium hunc locum occupavit; nam in omnibus vocibus, quae sensus molliores in intimo pectore atque animo reconditos exprimunt, *i* vocalis praevalet.*)

Denique linguae ipsius indole ac natura sententia nostra, *i* vocalem omnium antiquissimam esse, probatur, id quod Jacobus Grimmius, vir harum rerum grammaticarum inter omnes qui vivunt peritissimus, sua sagacitate optime perspexit. Dicit enim Gramm. Theotisc. part. I. ed. 3. p. 561. haec: „Ich nehme für eine erscheinung, die bis auf heute in gang ist, hohes alter und bedeutsamkeit in anspruch. Wenn wir, besonders im tone lebhafter, traulicher erzählung, durch reduplication substantiva und interjectionen bilden, oder auch dieselbe wurzel getrennt wiederholen, so werden immer die *i* und *a*, oder *i*, *a*, *u* der ersten und zweiten Conjugation angewendet: wirrwarr; klingklang, singsang; klinke klanke; pinke panke; winke wanke; misch-masch; tischtasch; ripsraps; klifklaf; klippe klappe; schmitz-schmatz; frau kitze, frau katze; fitsche fatsche; wigelwagel; gikgak; zikzak; schnikschnak; weder bif noch baf wissen; knistern und knastern (mythol. 520.); dreisilbige formen durchlaufen die volle scala: bimbambum; bifbafbuf. Die vocale können aber auch ganz oder zum theil in verschiedenartigen Wörtern neben einander auftreten, z. B. tilltapp; blitzblank; schnipschnapschnurr; stripstrapstrull; Hans Sachs sagt 1,407[a] zinkplatzpuff! Meistens wird ein schall dadurch nachgeahmt, d. h. für diesen fall hat sich die alte ausdrucksweise erhalten; an sich aber ging ihre wirkung weiter, und wie in knistern und knastern geben wir auch in risten und rasten, kiste und kaste, schimpf und schande, singen und sagen, zittern und zagen, beiden lauten dieselbe folge. An mhd. beispielen mangelt es nicht: wigen wagen MsH. 62[b]; giffen gaffen MsH. 3,297[b]; gippen gappen, hippen happen Ms. 2,80[b]; grisgram Leysers pred. 146. grisgramen Barl. 88,31. 211,38. Berth. 110. grisgrammen pf. Chuonr. 187,5 vgl. grisgrimmen 210,20; tiseltasel MsH. 3,210[a.b]; ginglapf Renn. 16152; rimpfenrampf MsH. 3,278[b]; snipfensnapf Ms. 2,10[a]; vgl. er snipp und snappe cod. pal. 341,126[d]. Im franz. clique claque; tictac; trictrac und ähnlichem wird die deutsche weise nachgebildet. *Wichtiger ist mir, dass schon in der edda Bivor Bavor Saem.* 2[b]*; Bifur Bafur Sn.* 16*; Fimbulfambi Saem.* 23[a]*; Gipul ok Göpul Saem.* 43[a] *dieselbe vocalsuccession bewähren*, vermutlich hat man auch Bileygr und Baleygr (wie ich für Bâleygr lese) dahin zu rechnen. Aus dem ahd. fällt mir nur criscramôn stridere und griscramôd stridor ein, das

---

die grösste Verlängerung der Mundhöhle bei grösster Verengung und Rundung der Lippenöffnung hervorgebracht.“ vid. System der Sprachwissenschaft von K. W. L. Heyse. Berlin 1856. p. 78.

*) „Das *i*, der innerste und höchste Vocal, drückt die Empfindung des Verlangens, der Liebe aus, gleichsam das In-sich-ziehen des sinnlichen Eindruckes, das Assimiliren des Wahrgenommenen, überhaupt jede innige, intensive Empfindung; daher auch, zum Ausdrucke des Objectiven verwendet, analoger Weise: Intensität der Kraft oder Bewegung, das in sich Concentrirte, das Spitze, Fliehende, Durchdringende, Blitzende u. s. w.“ vid. System der Sprachwissenschaft von Heyse p. 79.

einige f. criscrimmôn, griscrimmôd gebrauchen (Graff 4,326). In allen diesen Beispielen wird nicht von einem schwächeren vocal zu dem stärkeren vorgeschritten, sondern *der sprachgeist sah, gewis von frühauf, i als den primären laut an, von dem ausgegangen und zu a gelangt wurde; unerhört wäre ein umgekehrtes warrwirr, klangkling, snapfensnipf, Bavor Bivor.* Niemals kommen dabei die gebrochnen laute ë und o zum vorschein, wogegen der Umlaut des a kein hindernis gibt, wie jenes eddische Göpul oder das mhd. gimpelgempel Ms. 2,80[b] lehren, vgl. nhd. tisch und bett, himmel und hölle. in der conjugation stehn brechungen frühe schon den ungebrochnen Lauten gleich, jene von der conjugation unabhängige formel versagt sich ihnen, scheint also alterthümlicher.“*)

Optimo igitur jure *i* vocalis medium locum obtinet tam insignem, unde, quemadmodum in natura rerum, explicatio, quasi generatio (*γένεσις*) literarum alphabeti initium capit et ad dexteram et ad sinistram procedens. Proxima et secunda a vocali principe *i* recte posita est *a* vocalis *κατ᾽ ἐξοχήν*, repraesentans etiam in alphabeto ordinem illum antiquissimum *i-a-*, qui ordo primae conjugationis nostrae proprius est. At ubi est tertia trinitatis vocalis *u*? Vide, quam scite genius, ut ita dicam, linguae literas disposuerit! *U* vocalis ut in sonorum formatione longissime ab *i* sono abest et consonantium naturam redolet, ita etiam longissime reposita est a medio proxima initio alphabeti ad consanguineam literam ᚠ *f*, et clare jam auditur ex alphabeto nostro trinitas illa: *a-i-u*. At, inquies, video etiam ᚭ *o* vocalem! Sane quidem, sed hanc multo natu minorem esse ipsa

---

*) Ejusmodi generis sunt etiam: wischiwaschi, girigari, spirspar, knikknak, krikkrak, flittern und flattern, splitterfaselnackt, erst wig's, dann wag's! sieden und braten, Firlifanz, Wind und Wetter, Kind und Kegel, Gefild (Feld) und Wald, dichten und trachten. Nonnunquam etiam *a* vocali praetermissa statim ad *u* transitur velut: Dideldudel, Fizlibuzli, Milch und Blut, Hinz und Kunz cet. — Extat etiam Graecus lusus syllabicus, cum vocalium consecutione modo dicta mirum in modum congruens, in superiore parte vasculi cujusdam in solo veteris Agyllae reperti (vid. Lepsius in Annal. Inst. Archaeol. Rom. vol. VIII. p. 186. sqq.), cujus basis alphabetum aeolicum vel doricum praebet (vid. Franzii Elemm. epigr. gr. p. 22.). Ibi haec leguntur:

ΒΙΒΑΒΥΒΕ ΓΙΓΑΓΥΓΕ ΞΙΞΑΞΥΞΕ ΗΙΗΑΗΥΗΕ ΘΙΘΑΘΥΘΕ ΜΙΜΑΜΥΜΕ
ΝΙΝΑΝΥΝΕ ΠΙΠΑΠΥΠΕ ϘΙϘΑϘΥϘΕ ΣΙΣΑΣΥΣΕ ΨΙΨΑΨΥΨΕ
ΦΙΦΑΦΥΦΕ ΤΙΤΑΤΥ[Τ]Ε

(conf. Calliae tragoed. et Welckerum in Mus. Rhen. I, 1. p. 137. sqq.) Memorabile etiam est, veteres Vallesiae incolas singularum consonantium nomina cum *i* annexo pronunciasse. Conf. Grammar of the Welsh Language by William Owen, qui p. 11. dicit: „The names of the consonants were anciently formed by sounding the vowel *i* after all of them.“ Quin etiam in harmonia, ad quam mundus canere creditur, *i* vocalis medium locum obtinet, si fides habenda est Marco cuidam apud Irenaeum (contra haereses l. I. c. 7.) dicenti: *„Καὶ ὁ μὲν πρῶτος οὐρανὸς φθέγγεται τὸ α, ὁ δὲ μετὰ τοῦτον τὸ ε, ὁ δὲ τρίτος η, τέταρτος δὲ καὶ μέσος τῶν ἑπτὰ τὴν τοῦ ι δύναμιν ἐκφωνεῖ, ὁ δὲ πέμπτος τὸ ο, ἕκτος δὲ τὸ υ, ἕβδομος καὶ τέταρτος ἀπὸ μέσου τὸ ω στοιχεῖον ἐκβοᾷ.“* Verum nobis satius videtur supersedere testimonio hominis magi et haeretici, qui ab Irenaeo lib. 8. ejusdem commentationis appellatur „praecursor quasi vere existens Antichristi.“ Conf. Ger. Joh. Vossii Institt. oratorr. 6, 2.

ejus forma te docebit: orta enim est ex ᛆ *a* duplicata linea diacritica: ᛆ̈;*) deest etiam runis Helsingicis; *e* vero ceteraeque vocales impurae nondum extant, ut in scriptura cuneata Persepolitana, Sanscrita, Gothica (ĕ, ŏ). Videmus igitur e medio alphabeto transeuntes ad alteram partem, vocalem *i* tamquam matrem eandemque palatalem sonum *j* exhibentem prope se habere ᚿ *n* liquidam; liquidae enim vocalium naturae proximae sunt atque *n* et ad gutturales et ad palatales refertur. Deinde sequitur spiritus asper ᚼ *h*, ex quo gutturis vi exploso ᚴ *k* sonus existit finem faciens literarum gutturalium et palatinarum, ex quibus aditum ad ordinem dentalium optime facit *r* litera, quae cum gutturalibus et spiritu aspero cognata (Graecorum ῥ) simul etiam dentalibus annumeranda est.**) Sequitur dentalis litera aspirata ᚦ *th* et denique ᚢ (*u* et *v*) et ᚠ *f* labiales, literarum sonis ab interiore oris parte ad extremam, ex gutture et palato per dentes ad labia rectissime procedentibus.

Transeamus jam ad alteram alphabeti partem ab ᛆ *a* vocali incipientem, cui simili ratione, atque *i* vocali finitimae ᚿ *n* liquida natura vocali, ᛋ *S* sibilans proxime est apposita. Etiam haec litera ᛋ *s* optime transitum patefacit a vocalibus ad consonantes et imprimis dentalem: nam Graeci eam (*s*) semivocalibus jam adjungebant et vetusti Romanorum poetae, ut Ennius, in fine vocabuli elidebant, id quod cum ejus transmutatione in spiritum asperum accurate convenit (sal = ἅλς, sex = ἕξ, ἑπτά = septem et sexcenta alia); ipsa vero lingua hunc sonum formatura dentibus apprimitur, unde factum est, ut in omnibus fere alphabetis *s* et *t* literae appareant vicinae.***) Iterum jam, ut in altera alphabeti parte, ᛒ *b* labialis dentalem literam subsequitur, ut hunc eundem ordinem servatum videamus: *s* (= *h*) - *t* - *b*. Denique annexae sunt etiam liquidae reliquae ᛚ ᛘ ᛦ *l m r*, quarum prima (*l*) dentalis iterum labiali (*m*) antecedit. Restat jam ultima omnium literarum ᛦ et *ö* (vel *y*) et *r* sonos repraesentans et in Anglosaxonum quoque runis reperta formis variis.****)

Haec litera antiquitatem maxime redolet, cum ex illis adhuc temporibus reliqua sit, quibus vocales a consonantibus nondum segregatas fuisse supra diximus. Et vere liquidae quidem literae vocalium naturam etiam nunc prae se ferentes hanc

---

*) Etiam hodierni Dani ad *ō* sonum reddendum *aa* scribunt, Sueci *å*, quod pure sonat, ut nostrum *o* in Mond, schon, non impure, ut multi viri docti inter Germanos falso opinantur.

**) Conf. System der Sprachlaute von K. Heyse in commentariis ab Hoefero editis (Zeitschrift für die Wissenschaft der Sprache) IV, 1. p. 54. 55. (Greifswald 1853).

***) Das *s* ist ein Laut ganz eigenthümlicher Art, theils mehr consonantisch, gleichsam ein verkörperter Hauch, theils der vocalischen Natur sich nähernd. Es findet sich in allen uns bekannten Sprachen." System der Sprachwiss. von Heyse p. 273. Diomedes (II, p. 417.) dicit: *s* litera suae cujusdam potestatis est ideoque apud Graecos μοναδικόν appellatur.

****) Ibi etiam ᛘ (*eolh*) *m* liquida sicut ᛦ (*calc*) vocali sono olim fungebatur, etiam ᚼ (*ior*) signum ortum ex ᛘ et ᛦ atque ᛠ (*ear*) eodem est referendum conjunctis in alteram partem duabus lineis diacriticis ⸝ ⸜ et ⸌ ⸍ ex ᛦ ᛘ.

conjunctionem quondam artissimam diutissime servarunt, ut praeter ᛘ *m* Anglosaxonum modo dictum, in lingua Sanscrita*) non solum ऋ *ri* et ॠ *rî*, sed etiam ऌ *lri* et ॡ *lrî* vocales, quamquam rarae et sicut ᛦ Normannorum satis obsoletae, extant atque in pluribus linguis Slavicis**) *r* litera syllabas efficere valet.***) At populi, sonis linguae quasi deliquatis, ipsi nescientes, quid his literis facerent, reverentia quadam ducti****) eas non plane quidem ejecerunt, sed ut Normanni, cum ex ᛋ *s*-ᚱ *r* litera iis prognata esset, ad ultimum alphabeti locum seposuerunt.

Respicientes jam alphabetum nostrum vere ὀργανικώτατον antiquissimas literas reperiemus has:

consonantes ᚠ *f* ᚦ *th* ᚴ *k*
liquidas ᚿ *n* ᛚ *l* ᛘ *m* ᛦ *r*
sibilantem ᛋ *s*
vocales ᛁ *i* ᛆ *a* ᚢ *u*.

Ex ᛁ *i*, linea diacritica adjecta, ortum est ᛆ *a*, adjecto angulo — ᚢ *u* (cf. *u* scriptur. cuneat. Pers.); ᚭ *o* posterioribus demum temporibus ex ᛆ natum esse jam vidimus; ex ᚠ exortum est ᛒ (ᛒ) *b* conjunctis postea lineolis diacriticis; ᚱ *r* ex ᛋ *s* natum apparet (cf. *s* et *r* script. cuneat.), ᚼ *h* vero ex ᛁ adjectis duobus angulis aspirationi peculiaribus. Etiam ᛏ *t* minor est natu, dimidio anguli aspiratae ᚦ *th* summo fulcro ᛏ apposito (nam ea antiquissima est forma): aspiratas enim literas antiquissimas esse constat.

III.

Transeamus jam ad literas cuneatas Persepolitanas vulgo dictas, quas secundum eandem legem ac rationem qua runas ceterasque literas omnes esse formatas videmus, illo tantum discrimine interposito, quod sunt magis conspicuae

*) Ea de causa cum grammaticis Indicis equidem facio, qui docuerunt, e. c. कृ *kṛ* (facere) et कॢप् *klp* genuinas esse radices, non, ut Boppius opinatur, कर् *kar* et कल्प् *kalp* formas Gunae incremento auctas. Conf. Vergleichende Gramm. v. Fr. Bopp. I, 1. p. 1. sqq. (Berlin 1856) et ejusdem Vergl. Accentuationssystem p. 207. et Vocalism. etc. p. 157. sqq.

**) Conf. Serbische Grammatik von Wuk Stephanowitsch, herausgegeben von Jac. Grimm p. 3.

***) Etiam in lingua Ṣendica *r* literae syllabam finienti ĕ semper adjungitur, nonnunquam et in mediis vocabulis, ubi *r* literam sequitur consonans. Conf. Vergl. Gramm. v. Fr. Bopp pag. 55. et 74. (Berlin 1856).

****) „Die Alten behandelten die einmal erfundenen Zeichen als einen kostbaren Schatz und haben nicht leicht auch die als Lautzeichen nicht mehr anwendbaren ganz bei Seite geworfen." Die unteritalischen Dialekte von Th. Mommsen p. 19.

runarumque simplicitate atque exilitate carent. Constat scriptura haec ex quattuor vel tribus potius notis: linea directa, linea horizontali, his inter se in angulum conjunctis et cuspide vel aculeo, qui nihil aliud est nisi linea horizontalis eo consilio minuta, speciosior ut sit literarum forma, omnes vero lineae, quum in lapidibus ac saxis insculperentur, formas cuneorum prae se ferunt neque quemadmodum runarum reliquarumque literarum lineae singulas literas constituentes inter se conjunctae, sed juxta positae sunt,*) qua de causa signo interposito peculiari (𐏐), cuneo obliquo, singula vocabula secernuntur, quod signum etiam initio titulorum reperitur. Quarum linearum nunquam minus quam duae nec plures quam quinque ad literas singulas formandas adhibentur, quae quidem literae, nisi alia vocalis adjecta est, ut in lingua Sanscrita, cum *a* brevi pronunciantur, et ut Sinensibus *r* litera, ita *l* deest et linguae Sendicae et scripturae cuneatae, cujus consonantes certae cum certis tantummodo vocalibus conjungi possunt, quas in tabula I. consonantibus apposuimus. Hoc igitur, quod literis cuneatis proprium esse vidimus, idem quoniam Pritchardo docente**) apud populos Turcicos et Mongolicos reperitur, Scythicam redolet indolem. Simile vestigium praebet et Latinorum et nostrum *q*, quod ab *u*, fido socio suo, nunquam deseritur.

Omnes vero literarum notas complectuntur trium vocalium formae, in quibus 𐎠 â ex 𐎡 i ortum apparet uno adjecto cuneo, ut runarum ᛆ *a* ex ᛁ *i* eadem una addita lineola natum est, *u* 𐎢 vero iterum ex 𐎡 *i* adjecto angulo formatur quemadmodum runa ᚢ (ᚢ)***). Angulus ille, quem jam supra aspirationem indicare diximus, in omnibus fere literis aspiratis, palatinis, gutturalibus tamquam nota peculiaris cognoscitur idque in iis potissimum consonantibus, quae cum *u* vocali conjunguntur****), quoniam *u* sonus nunquam sine spiritu quodam pronunciabatur. Unde intelligitur, cur Atticae quoque dialecti voces ab *v* incipientes spiritu aspero affectae sint omnes.

Haec peculiaris anguli natura imprimis cernitur comparatis literis aspiratis. palatinis, gutturalibus cum dentalium ordine, in quibus frustra angulum requires, nisi in *dh* et *th* aspiratis et palatino *ǵ* (dsch), ubi angulus item munere suo fungitur. Hoc idem apparet in literis labialibus; omnes angulo carent praeter *f* aspiratam, quae duplici gaudet. Etiam *v*, quoniam affinitate conjunctum est cum *u*, quandam

---

*) Etiam in titulis Pompejanis lineae, ex quibus literae constant, rursus solutae nonnunquam apparent, ut pro M saepius |||, |3 = B, |< = R. Sunt etiam vetustissimae formae latinae || = E [cf. 𐎡 (i) lit. cuneat.] et |' = F cf. runam |'' = ᚠ (f). Conf. Mommsen l. c. pagg. 29. 30.

**) Another peculiarity prevails throughout the formation of the Turkish and Mongolian languages, in which certain consonants can only be pronounced in juxta-position with certain vowels.“ Researches cet. vol. IV. p. 382.

***) Etiam in lingua Sendica *u* est > et *v* >> et in Armeniaca ւ *v* et *u*.

****) Conf. literas cuneat. *sh*, *r* (ꝗ), *dh*, *th*, *f* (*q*), *m*, *n*.

anguli speciem habet, cuneolos in crucis formam conjunctos, inter omnes literas hac forma unica excellens. Liquidae literae inter vocales et consonantes medii quiddam tenentes mixti sunt generis, praevalente tamen angulo et linea horizontali, quae quidem linea propria esse videtur literis labialibus, quemadmodum dentalibus linea directa.

Ceterum notanda est [cuneiform sign] *s* et [cuneiform sign] *r* literarum similitudo, quae propter sonorum cognationem in omnibus alphabetis cernitur; deinde duo reperiuntur *r* sicut in runis, quorum alterum [cuneiform sign] simile est [cuneiform sign] *m* literae ut runarum ᛦ *r* et ᛘ *m*; tum palatinarum [cuneiform sign] ć (tsch) et [cuneiform sign] ǵ (dsch) origo ex gutturalibus clare apparet, quemadmodum hodierni Itali *c* pronunciant in „*cicerone*" cet. et *g* in „*giorno*, *giovane*" cet., Angli *ch* et *j*, Sueci *k* e. c., *kedja* auditur *tschedja* cet. et sic multae slavicae linguae. Praeterea insignis est [cuneiform sign] q et [cuneiform sign] *kh* formarum similitudo cum Semitarum veterum Kaph, imprimis cum quarta ejus forma in tab. I. et Graecorum et Latinorum K. Memorabiles sunt [cuneiform sign] *r* et [cuneiform sign] *d* literarum, ut veterum Semitarum, Hebraeorum, Graecorum *r* et *d*, formae simillimae, quae literae etiam inter se permutantur, ut Oscis atque Umbris D forma *r* sonat et R Samnitibus *d*, quum soni sint cognati, velut a*r*vorsum = a*d*vorsum, me*r*idies = me*d*idies cet.*)

Haec ratio ac similitudo sane mira, quae inter literarum et formas et sonos diversissimorum populorum intercedit, cujus pauca tantummodo exempla attulimus, ut dilucidissime ante oculos poneretur: ea qua par est diligentia ac cura composuimus tabulam alphabeticam,**) quam qui intentis animis perlustraverint, legem illam,

---

*) Conf. Mommsen. l. c. p. 25.

**) Subsidia, quibus ad tabulam componendam usi sumus, haec sunt:

1. Deprompsimus literas Semiticas e tabula adjecta L e v i i commentationi, quam supra citavimus. — Literae asteriscis notatae in quindecim ponderibus aeneis a Layardo in Ninives ruinis detectis reperiuntur, quas quidem literas accuratissime reddidit Norrisius in commentariis Londini a. 1856 editis (Journ. of the Roy. Asiat. Societ. XVI, 1. p. 215. sqq.). Reliquas literas ex vetustissimis Babyloniae et Assyriae lateribus, sigillis, gemmis in museis Parisiensibus et Londinensibus depositis Levius addidit. Illa saeculum VIII., haec fere saeculum X. attingere videntur.
2. — literas et Indicas veteres et Himjaricas (ex quibus Aethiopicae prognatae sunt) e tabula A. W e b e r i libro adjecta: Indische Skizzen. Berolin. 1857. — Vetus illud Indorum alphabetum non minorem fere alphabetorum numerum procreavit quam mater Semitica. Omnia enim hodierna Indiae et septentrionalis et meridianae alphabeta inde a finibus Tibetanis usque ad Taprobanen (Ceylon) insulam et insularum adjacentium et paeninsulae orientalis per innumerabiles transitus gradatim ad illam formam titulorum P i y a d a s i (Açoka) antiquissimam referenda sunt. Etiam scripturae Tataricae ex aliqua quidem parte (literis quae dicuntur G a l i k) cum illo cognatae sunt (cf. A b e l R é m u s a t. rech. sur les langues Tartares p. 36. sqq. (1820); W e b e r i Indische Skizzen p. 148. sqq.).
3. — Graecorum et veterum Italorum literas tum ex F r a n z i i Elemm. epigr. gr. tum ex Th. M o m m s e n i i tum ex H u s c h k i i tabulis annexis eorum libris s. c. — Compendia in tabula nostra literis singulis adjecta facile intelligentur. nol. = literae in 2 vass. Nolanis; lap. Cupr. = lapis Cuprensis; lap. Crec. = lapis Crechiensis.
4. — runas et Ulfilae alphabetum tum ex Guil. G r i m m i i libro s. c. tum ex L i l j e g r e n i i Run-

ad quam omnes literas formatas fuisse supra exposuimus, constantissime conservari cognoscent: fulcrum tamquam corpus et linea diacritica tamquam anima in omnibus apparebit; omnes ex uno et eodem fonte fluxerunt.

Evocavimus igitur quasi in campum Martium vetustissima quaeque variarum gentium alphabeta, copias illas victrices ex longinquis orbis terrarum partibus in unum congregatas atque secundum armaturas in certos ordines dispositas, ut eas lustremus, ut recensum earum agamus, ut in acie procedentes rerum gestarum suarum immortalium rationem nobis reddant, ut praestantiae ingenii humani testes existant locupletissimi. En palaestra grammaticorum! Nam quemadmodum grammatica comparativa quum singulis linguis diversis tum ipsi linguae humanae accurate et exquisite cognoscendae lucem attulit prius non visam, ita palaeographia quoque comparativa ad complura grammatices capita, imprimis etymologiam atque sonorum singulorum rationem recte explananda haud parum valebit. At ubi terrarum sunt, quaeso, caput illud bubulum (א), pecus (ᚠ), urus (ᚢ), camelus (ג), stimulus taurinus (ל) aliaeque res bellae, quas viri doctissimi ex lineolis illis simplicissimis summa doctrina ac sagacitate nec tamen feliciter eruere studuerunt? Evanuerunt simulacra illa vana ut umbrae, ut larvae. Valeant igitur in aeternum palmaque immortalis concedatur ingenio humano, *τῷ θείῳ, τῷ λόγῳ.*

Introite, nam et hic dii sunt!

IV.

Perpensis jam atque in particulas dissolutis literis singulis exempla nonnulla proponere liceat titulorum vetustissimorum et scriptura cuneata et runis confectorum, ut dissociatas adhuc literarum notas etiam in contextu orationis contemplemur.

Ac primum quidem celeberrimum illud monumentum*) atque unicum omnium,

---

Lära tum ex Jul. Zacheri tabula adjecta libro: Das gothische Alphabet Vulfilas und das Runenalphabet. Leipz. 1855.

5. — numerorum notas scripturae cuneatae ex Rawlinsonii commentatione s. c. (p. 172.), Graecorum ex Franzii elemm. ep. gr., Italorum veterum ex Th. Mommsenii libro s. c.

Omnibus his viris doctissimis gratias agimus quam maximas.

*) Eugen. Burnouf (Mémoire sur deux inscriptions cunéiformes cet. Paris 1836.) dicit (p. 169.): „Parmi les inscriptions, malheureusement trop peu nombreuses, que les voyageurs ont jusqu'ici rapportées des ruines que l'on trouve soit à Persépolis, soit dans le voisinage de ces monuments célèbres, il en est peu qui aient plus de droits à l'attention des archéologues que la courte inscription de quatre lignes découverte à Mourghâb par Morier cet. La beauté du bas-relief qu'elle

quod Cyri nomen exhibet, inspiciamus.*) — Reperitur in valli haud procul a veterum Pasargadis (Murghâb) sarcophagus vetustus in basi pyramidali exstructus, in cujus vicinia pluribus locis titulus noster non variatus quinquies repetitur. Ex duobus Cyris uter intelligendus sit, major an minor, adhuc sub judice lis est. Lassenius **) argumentis loco infra citato expositis Cyri minoris monumentum esse censet a Parysatide matre in memoriam dilectissimi filii extructum, Rawlinsonius***) et Oppertus****) Cyri majoris esse contendunt. Ipse vero titulus tribus linguis confectus est; primae enim lineae duae literas cuneatas in tabula alphabetica a nobis propositas praebent, quod scripturae genus haud dubie posterioris aetatis est, quam reliqua duo genera: totum enim est Achaemenidarum: his exorientibus apparet scriptura illa et simul cum eorum interitu evanescit. Nuncupare licet hoc scribendi genus *iranicum*, alterum *aniranicum*, quorum prius scriptura est mere phonetica, alterum duplex est: Medium quod vulgo dicunt, sed rectius Scythicum, cujus singulae notae syllabas repraesentant, et Assyrio-Babylonium, quod a simplicitate iranicae scripturae longe abhorrens antiquissimum esse videtur, quum notae singulae, Sinensium more, integra vocabula significent.

Verba ipsa primarum linearum duarum haec sunt:

1. Âd^{a}m. Kurush. khsây^{a}
2. thiy^{a}. H^{a}khâm^{a}nishiy^{a}.

Ego (sum) Cyrus rex, Achaemenius.

Âdam; sanscr. अहम् aham, ṣend. 𐬀𐬰𐬆𐬨 *azĕm*, gr. *ἐγώ* (*ἐγών*), lat. *ego*, litthuan. *asz*, lettic. *es*, boruss. *as*, slavic. *az*, polon. *ia*, bohem. *ga*, osset. *äz*, goth. *ik*, germ. vet. *ih*, vernac. *ich*, anglos. *ic*, angl. *J*, normann. vet. *ek*, suec. *jag*, dan. *jeg*, sinic. *ngo*.

Kurush, Graecorum *Κῦρος*, Hebraeorum כורש, solem significare jam Ctesiae†) probatur, id quod Lassenius recte in dubitationem vocat.††)

---

surmonte, la singularité des emblèmes qui y sont figurés, enfin le caractère auguste du personnage que l'artiste a eu la mission de représenter, font de ce monument un des plus remarquables que l'on connaisse dans cette partie de la Perse, et l'un de ceux sur lesquels on désirerait le plus que la philologie pût jeter quelques lumières." — Et Rawlinsonius (l. c. p. 46.): „The famous trilingual inscription of Cyrus the Great which still survives on a ruined pilaster at Múrgháb, is the most ancient monument of its class." — Etiam Oppertus hunc titulum appellat „la plus ancienne de toutes les inscriptions perses connues — une de plus curieuses que le temps envieux nous ait épargnées." Vid. Journ. As. XVIII. p. 561. (Paris 1851.)

*) Vid. tab. II. 9.

**) Conf. Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes herausgegeb. von Dr. Chr. Lassen. VI. (Bonn. 1845.) p. 152. sqq.

***) l. c. p. 46. et 290.

****) Cf. Journal Asiatique. Tom. XVIII. (Paris 1851.) p. 561. et imprimis Tom. XVII. p. 428 sqq.

†) Persic. 49. Bähr. Conf. Hesych. Etym. Magn.

††) Conf. l. c. p. 154.

khsây^{a}thiy^{a}, rex, princeps, sanscr. क्षैत्य क्षायत्य, kshaitya, kshâyatya, *regius*, a radice क्षि *kshi*, imperare, addito suffixo *ata*.

H^{a}khâm^{a}nishiy^{a}, patronymicon est nominis proprii *Hakhâmanis* (Ἀχαιμένης) adjecto suffixo *shiya*, sanscr. स्य *sya*, compositum ex *hakhâ*, ṣendic. *hakha*, sanscr. सखा sakhâ, amicus, et ṣendic. et sanscr. मनस् *manas*, (μένος) animus = animo amico praeditus.

Exemplum declinationis nominis veterum Persarum est:

	Sing.
Nom.	Âur^{a}m^{a}zdâ Ὠρομάσδης
Acc.	Âur^{a}m^{a}zdâm
Dat.	Âur^{a}m^{a}zdâiy*a*
Gen.	Âur^{a}m^{a}zdâhâ sive-dâh^{a}
Voc.	Âur^{a}m^{a}zdâ.

Conjugationis exemplum est:

Praesens indicativi.		Pr. conjunct.	
âmiy	εἰμί	âhamiy (âmiy)	ὦ
âhy	εἶ	âhy	ᾖς
açtiy	ἐστί	ahatiy	ᾖ
âmahy	ἐσμέν	amâhy	ὦμεν
açta	ἐστέ	ahata	ἦτε
hañtiy	εἰσί, ἐντί	hâñtiy.	ὦσι

Praesens Activi.	Medii.		Imperfect. Activ.	Med.	
(h)istâmiy	(h)istâiy	ἵστᾱμι	aïstâm	aïstiy	ἵσταν
(h)istâhy	(h)istahaiy	ἵστᾱς	aïstâ	aïstathâ	ἵστας
(h)istâtiy	(h)istataiy	ἵστᾱτι	aïstâ	aïstatâ	ἵστα
(h)istamahy	(h)istamadaiy	ἵσταμες	aïstamâ	aïstamadiy	ἵσταμες
(h)istatâ	(h)istaduvaiy?	ἵστατε	aïstatâ	aïstaduvaiy	ἵστατε
(h)ista(ñ)tiy	(h)istataiy	ἵσταντι	aïstasa	aïsta(n)ta	ἵστασαν
		(Dialect. dor.)			

Tertius tituli nostri versus generis Scythici (vulgo Medii) sic est legendus:*)

Ma . Ku Ro . Keï . Â K Ka

Me Ni CHi Ya.

Quartus tituli nostri versus scriptura cuneata Assyrio-Babylonia confectus est. Titulum hunc egregium accurate describendum curavimus ex ornatissimo

*) Linea directa singularis hujus scripturae ante nomina et propria et dignitatem regiam significantia tantummodo ponitur. Alteram syllabam nominis Ku ***Ro*** secundum Westergaardium reddidimus; De Saulcy Ku Ç legi vult. cf. Journ. As. Tom. XV. p. 399. sqq. (Paris 1850).

illo libro Parisiensi, qui inscribitur: Voyage en Perse de MM. Eugène Flandin, peintre, et Pascal Coste, architecte, attachés à l'ambassade de France en Perse pendant les années 1840 et 1841. Entrepris par ordre de M. le Ministre des affaires étrangères cet. Tome III. tab. 199. A.

Jam valere nos jubentes terras aeterno Auramazdae splendore ornatissimas ventos secemus ut „Cyllenia proles" alatisque plantis transvolemus ad ultimam Thulen.

Initium tituli runici (in tab. II. 16) magna ex parte deleti proposuimus, qui a dextera ad sinistram legendus est. Runae ipsae speciem stirpium ac ramorum prae se ferunt, quarum nonnullae inter se sunt ligatae, qui quidem usus in Graecis quoque titulis obtinuit.*) Ejusmodi runae sunt: ᚨᚢ AU, ᚬᚴ OK, ᛏᚱ TR, ᛚᛚ LL; etiam integra vocabula hoc modo repraesentantur velut [ligatura], h. e. ᛅᛚᛅᚠᚢᚱ OLAFUR.

Verba tituli mutilati haec sunt:

Hiiltakinn riki nam h. e. Hildekindus regnum cepit.

Hiiltakinn compos. ex *hiltr*, isl. *hilldur*, proelium, Bellona; vet. germ. *hilti*, *hiltia* in permultis nominibus propriis occurrens velut Hiltibrant, Hilttrude, Willihilt, Mahthilt, Mimihilt, Brunihilt. Altera vox compositi est *kinn*, isl. *kyn*, vet. germ. *kunni*, genus (*γένος*), generatio, proles; itaque Hiiltakinn significat: ex progenie Bellonae, virum bellicosum.

Alterius tituli (n. 14.) versus singuli qua ratione ducti sint, appositae numerorum notae indicant. Ibi legimus:

Alfkil: uk: h[a]ns: s[un]: [r]iþu: stin: þansi: ift: mana: sin: frinta: þans: [u]as: lantirþi: kitils: þis: nuruna:

h. e. Alfkil et ejus filius inscripserunt lapidem hunc post (i. e. post mortem, in memoriam) Manam, suum propinquum: is erat villicus Ketili, illius normanni.

Alfkil compos. ex *alfr*, nympha, et *kil*, *kiali*, isl. *ga*, *gali*, dan. *gal*, goth. *gailjan*, *gaudio* afficere, anglos. *gal*, *galscyp*, vet. germ. *keil*, *geil*, laetus, petulans, francogall. *galant*, hispan. *galan*, angl. *gallant*.

uk, et, suec. *och*, dan. *og*, nostrum *auch*.

riþu, 3. pl. impf. verbi *rita*, scribere, anglos. *writan*, angl. *write*, suec. *rita* delineare, nostrum *Abriss*, *Riss*.

stin, lapis, isl. *steinn*, suec. *sten*, dan. *steen*, angl. *stone*, anglos. *stan*, goth. *stains*, vet. germ. *stein*. Etiam *stun* et *stain* in titulis runicis reperitur. *e* vocalis quum runis desit, sive *ai* sive *i* scribitur.

þansi, pron. demonstrat. hic, suec. et dan. *denne*; isl. *þessi*.

---

*) Conf. Franzii Elemm. epigr. gr. p. 353.

ift, *iftr*, *aftar*, praepos. c. acc., post, isl. *eftir*, suec. et dan. *efter*, angl. *after*, batav. *achter*, goth. *afar*, anglos. *aeft*, vet. germ. *aftar*.

Mana, accus. sing.; nomin. est *Mani*.

frinta, acc., nom. est *friantr*, propinquus, amicus; isl. *fraendi*, suec. et dan. *frände*, goth. *frijonds*, vet. germ. *friunt*, vet. sax. *friund*, anglos. *freond*, angl. *friend*, batav. *vrient*; proprie particip. est verbi goth. *frijon*, anglos. *freogan*, suec. *fria*, dan. *frie*, amare, nostrum *freien*. = amans, amicus.

Sed sufficient haec exempla linguae runicae.

Tertius titulus runicus (n. 13.) sic legitur:

Suain: lit: rista: runar: eftir: torbiarn: bruþur: sin:

Sven (dan. Svend) jussit scindi runas post Thorbjörn, fratrem suum.

Recentioris aetatis est hic titulus, id quod runa ᚽ (e) vocabuli *eftir* probatur: ea enim ad runas quas dicunt Danicas sive Waldemarias sive punctis distinctas refertur, quae in numis altero demum dimidio saeculi decimi reperiuntur.

Ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ, ὦ Σώκρατες, περὶ τῶν τοιούτων ἴσως ὥςπερ καὶ σοί· τὸ μὲν σαφές εἰδέναι ἐν τῷ νῦν βίῳ ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ παγχάλεπόν τι· τὸ μέντοι αὖ τὰ λεγόμενα περὶ αὐτῶν μὴ οὐχὶ παντὶ τρόπῳ ἐλέγχειν καὶ μὴ προαφίστασθαι πρὶν ἂν πανταχῇ σκοπῶν ἀπείπῃ τις, πάνυ μαλθακοῦ εἶναι ἀνδρός. **ΠΛΑΤΩΝ. ΦΑΙΔ.**

Runae inversae

10 11 12

Lith. Anst. v. Leopold Kraatz in Berlin